




PALAESTRA LATINA



SUMMARIUM

DE RECTA LINGVAE LATINAE PRONUNTIATIONE.

(Jové).

RESPONSORIUM.

IN VERGILIUM. (G. Chacon).

CONLOQUIA IN SCHOLA.

NOVA ET VETERA. (E. Jové)

EPISTULARUM COMMERCIIUM.

DE RE GRAMMATICA. (J. Jiménez).

CURSUS GYMNASTICUS. (H. Martija).

BIBLIOGRAPHIA. (J. M.^a Mir, H. Martija,
I. González).

SILVA BOHEMICA - TIEF IM BOHMERWALD. (A.
Haberl). in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis

Ordinarii atque Superiorum permissu

Silva Bohemica (Tief im Böhmerwald.)

Silvae Bohemiae
Erant custodia
Meis cunabulis
Et dulcis patria.
Vestri praesentia
Negata corpori
Quam saepe mens mea
Ad vos volat!

Redi, precor, redi
Tempus praeteritum,
Vitae molestiis

Doloque liberum:
Propter domum patris
E prato culmina
Salutabam frequens
Bohemica.

Semel mihi, Deus,
Ostende patriam
Ostende quae tegunt
Silvae Behemiam.
Tum laetus omnia

Pergam relinquere,
Valere jussero
Bohemiam.

Frequentamentum.
Silvae Bohemiae
Erant cunabula,
Silvosa montium juga.
Silvae Bohemiae
Erant cunabula
Amoena patria.

Lepusculus stratus in nivibus

Tristis est lepus
Stratus in nive:
Herba non jam est,
Vere quae fuit.

Alget et gemit
Fessus, o dolor,
Non est gaudium,
Non victus, calor!

Floret nil agro,
Multos jam dies
Taedet vivere,
Malo jam mori.

Vau! terret sono
Horrido canis:
Audit hoc lepus
Et telum videt.

En, ut prosilit
Se mandat fugae!
Non jam lassus est,
Mavult vivere.

Nondum vult mori,
Fames cum premat.
Est vel in malis
Dulce vivere.

Hinc, homo miser,
Te, lepuscule,
Ne mori juvet:
Est durum mori.

Est, homo miser,
Est, lepuscule.
Panis post mala,
Herba post nives.

*Carmina haec popularia
latine interpretabatur.*

Andreas HABERI, S. V. D.

Quid retribuam domino?..

Beata Virgo.

Divo munere praedita
Caelistis Pueri, pauper et intima
Quod dignum potero tibi
Donum offerre, DEUS? Quae tui amabilis.
Lauro virgineo, Parens
Nati constituor...: perfruo osculis
Jam Sponsi, ore de Filii;
Laetis angelicum jam gero gaudium

Ulnis, delicias Patris!..
Sed veniet tempus cum tenerum feri
Agnum corripient lupi:
Quem cernens Genitrix, et lacerum flagris
Exsanguem, et populi probrum,
Praedicto feriar pectora vulneri;
Et figens animum cruci,
Consors efficiat victima Filii.

DANIEL RESIREPO, S. J.

PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS



Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

De recta linguae Latinae pronuntiatione

Classica linguae Latinae pronuntiatio nullam paene difficultatem obfert. – Quod maxime pronuntiationem classicam commendat est, praeter legitimitatem, ejus facilitas qua labris omnibus aptatur. Nam si ad singulas litteras venimus in semissi earum parte omnibus populis est communis, non tantum Neolatinis, sed et Gotticis. Quod ad reliquos sonos, Arabicos non habet *c, g, j, tio, z* ab Hispano populo solum proferendos. Adspiratio *h* Italidis dumtaxat et Hispanis obstare quidquam potest; sed numquid eos hoc deterret ab ediscenda lingua Gallica vel Germanica quae utraque etiam adpiratione utitur?

Quantum ad sonum Graecarum litterarum *y* et *z* et *ch ph th*, facillime pronuntiationem classicam reddemus imitantes vicissim Gallos *u* proferendo in *cure*, Italos in *grazia*, Germanos in *Kamm, Paar, Tadel* quia illi simplices litteras *c p t* ea crassitudine pronuntiant quam adspiratis illis litteris *ch ph th* dabant Latini. Quo modo autem proferuntur diphthongi *ae oe*? Ut in Germanicis vocabulis *Leide Leute ei et eu*, et *ai oi* in Hispanicis *dulzaina boina*. Haec autem nisi sufficiant ut cujusvis nationis studiosi viri ad rectam linguae Latinae pronuntiationem deducantur postquam argumenta in medium produxerim, nulli rei alteri id vertendum putabo quam demortuo in Latinitatem amoris igne, quem magis magisque accendendum curabo litterarum singularum, quibus potero rationibus, veram pronuntiationem demonstrando.

Diphthongi *ae oe, ai oi* comparate pronuntiantur. –

a) *Ex quibusdam earum diphthongorum reliquiis in vernaculis linguis remanentibus.* Primum quidem dicendum de simplicibus vo-

calibus esset, quomodo unaquaeque sonet in variis positionibus, sed cum hic nihil quaeramus praeter substantialem sonum, deque eo in iisdem nulla sit disputatio, jam ad diphthongos properamus.

Mirum quidquam et plerisque lectoribus inauditum superiore rubrica nos enuntiasse videmur. Quare eos rogamus ut primis animi motibus temperantiam adhibeant et propitias nobis aures reddere velint, dum quietis mentibus veritatem instillare curamus. Namque ex una parte certo scimus eam admirationem iis tantum contingere potuisse, qui parum aut nihil unquam de vera pronuntiatione audierint, ex alia autem ad primos de ea sermones nostros credimus fore ut talis eorum admiratio facile evanescat.

Igitur ut ex facilioribus procedamus quis nesciat vulgare illud Germanum verbum *Kaiser* a *Caesar(e)* esse desumptum? Veteres etiam nostri scriptum reliquerunt: Julio César *Caysaragust*, *Cesárea Caysaria*⁽¹⁾. Immo gens Arabica, quae hodie Palaestinam tenet, *Caesaream Kaisarieh* vocat. Vossius a Perizonio vocatus, «praeclarum in hoc genere eruditionis (ethymologicae) et stupendae industriae exemplar», non dubitat *Eisen*, cujus pronuntiatio apud Germanos est *aisen*, ab *aere* manasse; neque obstat quod *Eisen* ferrum significat, nam *aes* pro ferro coepit accipi postquam ferrea arma in usu esse coepere. Atque eodem modo *Reisewagen* (quod *Raisewagen* pronuntiat) *raedae* diphthongum prae se ferre videmus.⁽²⁾ Ergo in illis retinent Germani verum diphthongi *ae* Latinae sonum, quamquam eandem per *ei* scribunt.

De diphthongo *oi* delirare me quis credat, nisi mecum adsentiat. *Utor* constat certissime antiquitus fuisse *oitor*, numquid *fruo* fuerit *froior*? Quae si ita sint, et diphthongi Latinae *oe*, parum frequentis apud Latinos, sonitum et specimen retinerent etiam Germani, nam *frui* dicunt *freuen*, pronuntiant autem *froiēn*, quod est fructus ex aliqua re percipere. A *frui* est *fructus* et a *fructu frucht* Germanum. De quo non ausim certum adserere quamvis veri simile nulli non videatur. Sed quid veri similia quaerimus cum res certas in promptu habeamus?

Sunt qui nesciant adverbia *proin* et *proinde* communiter monosyllabon comparate et bisyllabon esse ut patet ex illo Augustini⁽³⁾: «*Próinde* placuit contra regulam accentuum proferri, ne separatim additae praepositiones videantur adverbis». Tum igitur diphthongum *oi* non solum proferimus sed etiam scribimus; atque id postremum triplici quidem de causa. Ac prima quidem quia, non obstante Latinorum pronuntiatione ad illam diphthongum per *oe* scribendam, facile

(1) R. Menéndez Pidal, *Orígenes del Español*, Tom. I, ed. 2.ª, 1929, p. 98 ad calcem. — (2) Ger. Johan. Vossii, *Etymologicum Latnum in verbis aes, reda* — (3) Kell, *Grammatici Latini V*, pag. 519.

constabat omnibus ejus compositio ex *pro* et *inde*, quod calamus sponte pingebat; altera quia, ut ait Velius Longus de *ae* diphthongo⁽¹⁾: «Nihil obstat quominus hoc aut illo modo scribamus»; tertia vero quia poëtae, ex communi potestate sibi large concedita, ea vocabula bisyllaba vicissim et trisyllaba faciebant, diphthongum destruendo.

Non deest vocabulum in quo diphthongum *oe* invenimus et pariter diphthongum *oi*, quod utrumque eadem ratione semper est pronuntiandum. Quibusdam possit videri duplex vocabulum cum non sit nisi unum idemque, duplici tamen scriptione, communi et classica altera *coetus*, infrequens et non classica altera *coitus*. Forcellinius⁽²⁾ in eo Lucretii loco:

«Nil tamen hoc ad nos qui *coetu* conjugioque
Corporis atque animae consistimus uniter apti» (III, 858)

cui adde similem

«Quod tamen ut possint, ab *coetu* concilioque» (II, 918)

sic ait: «Qui *coitu* legunt disyllabum faciunt per synaeresim». Similiter apud Curtium (IX, 4, 9): «Ceterum amnium *coetus* maritimis similes fluctus movet» hoc notat laudatus lexicographus: «alii *coetus*, alii *coitus* legunt. Praeterea Ausonius ubi scripsisse melius videretur *coitus*, *coetus* scripsit (Epigr. 108, 12-14):

. cassa libido
Femineos *coetus* et non sua bella lacessit».

Videamus nunc exemplum superiori contrarium, scilicet duplicem syllabam *aër* in unam diphthongatam transire, mutato quidem sono, non autem scriptura. Lege, bone lector, nulla relicta in expressione vocali, illum Vergilii versum (Aen. VI, 803):

Fixerit *aeripedem* cervam, licet aut Erimanthi.

Servius et cum eo Diomedes et Charisius ajunt hoc loco dictum esse a Vergilio per synalephen, quasi aërios seu veloces non quasi aereos seu ferreos pedes habentem. Quod, quamvis neget Forcellinius, argumentum eductum non infirmat, etenim grammatici illi, ex omni antiquitate clarissimi, admittunt posse in *aëre* per synalephen fieri diphthongum, iisdem *ae* remanentibus litteris, quantumvis in pronuntiatione altera earum, videlicet *e*, in *i* diphthongalem necessario mutetur in pronuntiatione.

Tribus illa Israëlitica nomine *Ephraim*, testante Perinio in Onomastico, a Divo Augustino scripta est *Ephraem*. Postea, corrupta vera pronuntiatione, invenitur *Ephrem*, quae scriptura omni-

(1) Kell, *ibid.* VII, p. 57.

no improbat. Quare improbat? Quia verae pronuntiationi veterum nullatenus respondet, respondent autem simul duae scripturae priores.

Aliam invenimus etiam reliquam vocem quae nostram probationem firmiorem adhuc reddet, quacum hodie orationis nostrae rivulo fluxum intercludemus. *Vae victis!* saepe audivimus dixisse Romanos cum hostes bello superassent, eamque vocem in vernaculam facile vertimus: *¡ay de los vencidos!* Nunc interrogo nonne est cognatio aliqua originis inter *¡ay!* et *vae!*? Graeci pro ea interjectione habuerunt *οὐαὶ* et *αἶ*. Aeoles, ut moris erat apud eos, pro adspiratione usi sunt digammate et ab *ai* processit *¡ai*, unde *vae* Latinum. Latini, amissa etiam *vau*, dixerunt *ae*, quod non semel scriptum est *ai*, ut constat ex illo Ovidii (Met. X, 215):

Ipse suos gemitus foliis inscribit et *ai ai*

Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est... Ex hoc concludimus in *vae*, diphthongum *ae* sonare sicut nostrum *¡ay!* cuius est historica traductio et veterum scriptio *¡guay!*

EMMAUNEL JOVÉ, C. M. F.

(sequar).

Responsorium

Fr. M. P. Guerin—Cóbreces.—Tuis quaesitis breiter hoc pittacio respondeo. *Ad primum.* Invocandis carminibus Latinis amissa quidem est lex antiquorum quae ad saeculum usque tertium post Christum viguit, qua accentus altitudinis in syllabis ab accentu intensivo seu durationis *sejunctus omnino poterat esse.* Postea accentus altitudinis in syllabas intensiores seu longiores cecidit, et tandem ipsa brevium et longarum syllabarum periit fere distinctio.

Nunc carmina juxta veterum poetarum morem confingimus profecto, non

quod «legitimum sonum digitis calleamus et aure», ut ait Horatius, sed ex traditis ab antiquis grammaticis syllabarum regulis. Ad secundum. De hac re poteris consulere «*Les origines du cursus rythmique*» par M. G. Nicolau et «*Principes de métrique Grecque et Latine*» par A. C. Juret et etiam «*Métrique, sciences complémentaires*» par L. Laurand. Opuscula haec et alia quaecumque ad classica studia pertinentia tibi atque aliis suppeditare possumus domuum editorialium pretio. Vale.

I N V E R G I L I U M

Qualis sereno caespite languidas
Surgens opacam sol jacit in fugam,
Cum lux renata floret, umbras,
Gemmifera nitidus corona;

Romana tellus, gloria Caesarum
Trojaeque summae regia concidunt:
In te superno vivet ore
Carminis unctio. Corde pulsat

Talis tu laurum regius emines,
Andine Vatis, temporibus gerens,
Quo musa te vinxit venusto,
Imperium sine fine donans.

Non usitatae lex sapientiae
Qua tu invidendis moribus admones
Quo sibi tendat, quidve possit
Nixa Deo fragilis propago.

Dum tendis alto numine percitus
Circumque tendit turba canentium
Tu solus expers labe, puro
Virgineum bibis ore lumen.

Silete vates, quos nimium rudi
Jactabat aetas numine concitos;
Fervore nunc flagrat superno
Vergilius, superansque noctis

Tunc Roma surgens, deliciae tuae,
In fronte pura posuit osculum,
Dixitque: Conscendet in aevum
Imperii celebrator orbis.

Gentilis umbras, sidera Bethlehem
Divinat augur. Carmine praedicat
Pacem, Dei cultum, pudorem:
Praedicat unicus ista Christus.

Novus sacerdos, vitia criminas
Pandens Olympi limina, vindicem
Orcique noctem: Rex doloris
Quem sequitur miseranda proles.

Quae dat juvenus lilia suscipe
Dulcis poëta. En auget honoribus
Nomen tuum. Nunc jure totus
plaudit, ovat, juvenescit orbis.

Quam saepe belli motus imagine
Deflere visus! Vulnera mitigas
En cordis. In luctu quietem
Rore tuae pietatis auges.

Georgius CHACON, S. J.
Cotocollae Quiti in Repr. Aequatoriana.

Conloquia in schola

Annus novus et annus vetus

Personae: SENEX, et PUER

- S. — *Tui misereor, infelix; malo natus es omine.*
- P. — *Ego vero te salutatum veneram ea qua par est venerando seni comitate, puerilique laetitia.*
- S. — *Audisne insanum cachinnum quo hominum insanabilis stultitia te recipit?*
- P. — *Nonne est hujusmodi strepitus hymnus funereus pariter ac ridiculus quo tibi valedicunt?*
- S. — *Minime; de senibus nemo curat. Annum novum concinunt; bacchanalia, sc. juventutis et insanæ spei semper elusæ.*
- P. — *Vobis senibus nihil nisi bacchanalia in juventute. At numquid transigendus est december in cavernis præhistoricis?*
- S. — *Illusio et vanitas vanitatum.*
- P. — *Non est illusio vita, sed munus divinum Creatoris. Haud aliter atque ejus infinita fecunditas, semper nova est.*
- S. — *Hoc proximo decembri indicabis.*
- P. — *Indicabo. Senes omnia vultis; heri juvenes, hodiernos juvenes aegre fertis. Si vobis fidem adhibeamus nullo ad vivendum fruamur jure. Optatis perpetuam aegere vitam, at mori necesse est ut ceteri vivere valeant.*
- S. — *Superbia ista in perversitatem adoleveris.*
- P. — *Mihi detrahis; calumnia et furor istius invidiæ simulatio est. Ego nova sum vita, quam omnes novo anno incipiunt.*
- S. — *Cachinnum extollere si liceat... quippe, quidem, annus novus vita nova; quemlibet interroga eorum qui juxta te cur-*

Año nuevo y año viejo

Personajes: El VIEJO y el NIÑO

- V. — Te compadezco, infeliz. Naces con malos augurios.
- N. — Y yo que venía a saludarte con toda la cortesía que se merece un anciano y con toda la alegría de los niños.
- V. — ¿Oyes estas carcajadas estúpidas con que te recibe la incurable imbecilidad de los hombres?
- N. — ¿Y no podría ser todo este ruido el himno entre funeral y grotesco con que te despiden?
- V. — No; los viejos no interesan. Cantan el año nuevo; la bacanal de la juventud y de las esperanzas locas siempre frustradas.
- N. — Para vosotros, los viejos, no hay más que bacanales en la juventud. Pero ¿es que hemos de pasar este diciembre en las cavernas prehistóricas?
- V. — Ilusión y vanidad de vanidades.
- N. — La vida no es una ilusión; es un don divino del Creador. Como su infinita fecundidad, es siempre nueva.
- V. — Ya me lo dirás para el próximo diciembre.
- N. — Ya te lo diré. Los viejos lo queréis todo. Jóvenes ayer, no podéis aguantar a los jóvenes de hoy. A creerlos, no tendríamos derecho a la existencia. Vosotros quisierais vivir siempre y hay que morir, para que puedan vivir los demás.
- V. — Con este orgullo crecerás en perversidad.
- N. — Me calumnias. Esa calumnia y despecho es un disfraz de la envidia. Yo soy la vida nueva que todos emplezan con el año nuevo.
- V. — Si pudiera reírme a carcajadas... Sí, sí; año nuevo, vida nueva; pregúntaselo a cualquiera de esos que corren

runt sicut ebrii, clamitantes et saltantes.

P.—*Hebetes oculos habes, nec rerum vides profunditatem. Sub hisce speciebus sordidis nova germinat vita, velut stercus recentia germina operiens.*

S.—*Experientia mihi constat te nihil scire; quod omnes fuere, tu eris: nihil sub sole novum.*

P.—*Impius es, non modo invidus. At fides mea inexpugnabilis est. Ne obliviscaris ideo in mundum Deum renisse ut eam spem excitaret, ut filios meliores parentibus redderet, licet parentes contra existiment.*

S.—*Velit Deus, hoc verum sit quod dicis.*

P.—*Numquid te negante verum esse desinet? Promissionem divinam habemus. Memoriam renova, si potes, teque eandem promissionem accepisse recordaveris, neque recte usum esse vitae diebus. Paenitentiam age, at divino operi noli oculos claudere.*

S.—*Vado rationem ei de operibus redditurus; sed sine, te conmonefaciam: quod es, ego fui, quod sum, ipse eris.*

P.—*Quod fuisti numquam reddet. Ego longe alius ero. Cum senuero, gratias Deo agam ob juventutem.*

S.—*Satius tibi erit verecundia et conscientiae stimulis.*

P.—*Eos praeveniam.*

S.—*Non illis liberaberis*

P.—*Sed vivam.*

S.—*Moriturus.*

P.—*Resurrecturus.*

a tu lado, bailando y voceando como borrachos.

N.—Tienes la vista cansada y no ves la realidad profunda de las cosas. Bajo esas apariencias repugnantes germina la nueva vida; es el fiemo que cubre las semillas nuevas.

V.—La experiencia me dice que no puedes saber nada. Serás como todos; nada nuevo debajo del sol.

N.—Eres impío además de envidioso; pero mí fe es indestructible. No olvides que para algo vino Dios al mundo; para avivar esa esperanza, para hacer a los hijos mejores que padres, aunque los padres crean lo contrario.

V.—Dios quiera que sea verdad lo que dices.

N.—Y porque tú lo niegues ¿dejará de serlo? Tenemos una promesa divina. Haz memoria si puedes y recordarás que tú también has recibido esa promesa. Que no has empleado bien los días de tu vida; arrepiéntete, pero no cierres los ojos a la obra de Dios.

V.—Me voy a darle cuenta de mis obras; pero permíteme una advertencia; lo que eres, fui; lo que soy, serás.

N.—Lo que fuiste no volverá a ser jamás. Yo seré muy distinto. Cuando envejezca, daré gracias a Dios por haber sido joven.

V.—Bastante tendrás con tu vergüenza y tus remordimientos

N.—A prevenirlos voy.

V.—De ellos no te libras.

N.—Pero viviré.

V.—Para morir.

N.—Para resucitar.


NOVA ET VETERA

CUBICULUM

Hodie lectores nostros in cubiculum (1) adducere constituimus ut quidquid in eo inveniamus verbis Latinis explicemus.


Jam primum quid sit cubiculum proprie oportet cognoscere. Igitur cubiculi nomine venit membrum in aedibus quod clavi claudi potest, in quo tum per diem manemus, tum nocte cubamus. Cellam vocant suum cubiculum monachi, quod uni eorum tantum inservit et raro atque pauperi suppellectili (2) decoratur.

Est in cubiculo secretior locus in quo quietis causa degere solemus, qui *zotheca* (3) vocatur. De ea hoc habet Plinius Minor: Contra parietem medium *zotheca* perquam eleganter recedit, quae specularibus (4) et velis (5) obductis reductisque modo adjicitur cubiculo, modo aufertur; lectum et duas cathedras (6) capit.



Zotheca


Lectus est cubile stratum jacendi et dormiendi causa. Videtur dictus ita, quod fatigatos ad se adliciat. Lecti partes sunt fulcra seu pedes (7) et sponda. Sponda est lecti exterior tabula cui adnectuntur restes seu reticulum ubi torus (8) sustinetur. *Torus* dicitur quasi *tortus* quia veteres super herbam tortam discumbebant. Toro imponitur *culcita* (9) super quam dormientes quiescunt, a calcando quod in ea tomentum, lana, plumae, aliaque materia inculcatur. Parva culcita quae saepe nos operimur vocatur *culcitella*. (10). Lintheamina candida quae gemina ponuntur in lecto, Latino nomine *lodices*, (11) Graeco autem nomine, atque ideo parce usurpando, sindones: *plagularum* etiam nomine veniunt. Appellatur *stragulum* (12) vestis stragula discolor quae manu artificis diversa varietate distinguitur, eaque sive simplici sive duplici sive triplici vel multiplici sternuntur lecti et involvuntur. Etiam dicitur hujusmodi teges *segestre* vel *segestra* vel *seges-*



Lectus



tria vel segestrum. Opertorium (13) tandem dicitur vestis stragula summa et variis figuris et coloribus picta qua exornatur lectus et operitur; plaga etiam usurpatur. In fronte lecti invenitur cervical vel cervicale (14) quod cervici et capiti supponimus; immititur fundae ut possit frequentius extergi. Lecti jam compositi, ornamenti ergo, haud semel invenies pulvinos magna arte et opere variegato (15) qui ponuntur etiam super *pulvinaria* (16) quosque alio nomine *pellulas* appellaverunt antiqui.




Mensula

Altioribus lectis adponebatur *scamnum* (17) ut ex eo ad lectum scanderetur. Ne pedes nudi solum forte frigidum aut minus mundum attingerent, *mata* (18) sternebatur, storea nempe ex cannabi crassiore, junco, scirpo, sparto aut palma intextis. Prope lectum non deest *mensula* in cujus loculis (19) matula reconditur et alia vasa ad munditiam destinata neque desunt aliqua *sedilia*.



Sedile

Nonne vides etiam *aquiminarium* (20) seu apparatus ad lotionem tum manuum tum etiam faciei? Hinc et inde lamella saponem sustinet, speculum adversum (21) in parte superiore, in medio *malluvium* (22) quod recipit aquam mundam ex pollubro (23), et infra situlus quo malluviae post lotionem demittuntur. Manutergium (24) lotionis opus perficit et cutem siccatur.



Aquiminarium

Sed nunc jam a *zotheca* erat exeundum ut aliam supellectilem in cubiculo comperiremus, eamque pulvere excutiremus qua in posterum, vel animi causa, libenter uti valeremus. Hoc autem in alium diem rejicimus ut variis dicendi formulis articulum finiamus quae de lecto maxime sunt in usu.

{ Cubare in lecto Decumbere lecto Detineri lecto Esse in lecto Incumbere lecto Jacere in lecto { Insternere lectum { Ornare lectum	{ Descendere lecto { Desillire lecto { Surgere lecto { Componere se lecto { Commendare se lecto	{ Inire lectum { Recipere se lecto { Adparare lectum { Componere lectum { Sternere lectum { Decidere in lectum
---	---	---

- (1) *Aposento*. (2) *Ajuar*. (3) *Alcoba*. (4) *Vidrieras*. (5) *Cortinajes*. (6) *Sillones*. (7) *Patás*. (8) *Jergón*. (9) *Colchón*. (10) *Colcha*. (11) *Sábanas*. (12) *Manta*. (13) *Cubrecamas*. (14) *Almoada*. (15) *Borda*. (16) *Sofás*. (17) *Taburete*. (18) *Estera*. (19) *Departamentos*. (20) *Aguamanil*. (21) *De frente*. (22) *Palangana*. (23) *Jarra*. (24) *Tohalla*.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Epistularum commercium

*Andreas Avenarius S. D. V. Emmanueli Jovaeo C. M. F.
carissimo amico salutem.*

Tres anni PALAESTRAE—nam totidem lucem adspexerunt—elegantem una colligati volumine super caput meum juxta tomos «Almae Romae» sex collocati sunt.

Et si vis adspicere hic superioris anni paginam 102 in Santolii disticho «Nympha triumphalem...» quod suspicatus eram scribendum fuisse «Demirata suis garrula plaudit aquis» ut plenus esset pentameter, postea vidi scriptum ab Santolio esse «Admirata suis...»

Est autem nunc propositum garrere tecum per dactylographum sicut ex cerebro reperit in tudiculas rogoque ut diligentius, quae in litteris ad te a me datis legeris, cribres, nam fuit, cum mirarer te, quae incondite et ex tempore nulla adhibita sermonis lima, scripsissem, inseruisse foliis PALAESTRAE. Tua culpa erit, si quod ex eo genere ineptiarum letores collegerint taedium. Vide, quid sis facturus!

Ego interim non cesso quaerere Santolina. Scripsi ad viros duos, a quibus me accepturum spero. Et partem profanam operum Santolii inveni in bibliotheca Monacensi publica. Sunt autem tres tomuli, qui inscribuntur: Joannis Baptistae Santolii Victorini operum omnium editio tertia, in qua reliqua opera nondum conjunctim edita reperiuntur. Parisiis apud fratres Barbou, via Jacobaea, sub signo ciconiarum MDCCLXXIX cum privilegio regis. Quis non exspectaret lecto titulo omnia opera? Sed frustra erit, qui in istis libris indagetur sacros Santolii hymnos; tantum profana reperiet carmina, quibus interdum ornantur viri, quorum si mores spectes, ornatus minime necessarius erat. Sed antiquos poetas tibi redditis credas; Santolius digna Vergilio et Horatio loquitur. Et haec sunt illa opera profana: Pro Ludovico Magno carmina 9; pro Condaeis 7; pro domo Victorina 5; ad homines illustres, ad proceres in libro vocantur 21; Lacrimae, 8 carmina in morbos aut mortes hominum, quibus Santolius deferebat. Gratiarum actiones 11; quaerimoniae 25; tres disputationes: prima de monumentis carmina quibus disquiritur, publica urbis monumenta Latinis, an Gallicis verbis essent conscribenda; disputatio de fabulis: carminibus 17 defendit poeta usum rerum mythologicarum; tertia disputatione se conatur extricare, cum ingenia exarsissent lecto epitaphio traslati cordis Arnaldi; absolvitur carminibus tribus. Sequuntur epigrammata hagiographa 10, Ludoicia 31, Cantilliaca (Chantilly) 30, Parisiaca 25, Promiscua 69, Epitaphia 30. Gallicis autem verbis praemittitur vita et mors poetae, carmina plurima illustantur notis et brevibus personarum descriptionibus, non paucorum carminum additur versio aliqua Gallica. Tertius liber multa habet quae ad funus Santolii pertinent. Poeses etiam amicorum Santolii, ut Commirii Jesuitae, additae sunt et responsiones, quae ad explicanda Santolii poemata pertineant.

Horum igitur operum te hortor Santolinorum, ut novam cures editionem in tomos dispertitam duos, unum sacrorum carminum, profanorum alterum. Commode prodibunt in Hispania.

Tu igitur per idoneos Parisios, quibus te video conjunctum esse artiore societate litteraria, ex pulvere bibliothecario liberabis exemplaria Santolii duo, tibi unum, alterum mihi. Sed fortasse ipse brevi accipiam per amicos. Tum quae Gallice scripta in Gallicis editionibus inveniuntur, nos, quantum opus fuerit, Latine reddemus, in qua re ego polliceor meam opem pro virili parte ferendam, tu quaeres aptam illic typographiam et editorem. Per PALAESTRAM et «Almam Romam» et «Societatem Latinam» nuntiabimus magnum aliquid in lucem proditurum, ut in multorum

animis emendi cupiditatem incitemus, sic Santolius oblivionis eripietur faucibus. Hymni certe ejus, qui Romano breviario introducto in Ecclesiam Gallicam amiserunt, immortalitatem, multis juvenibus thesaurus erunt sacrarum in templis cantionum multis amicis Latinitatis patebit quanto in honore ante saecula duo adhuc fuerit res Latina.

Haec tu diligenter delibera, et, si viam videas, qua consilium vertatur in effectum, rem suscipe. Profecto, si Fontio nostro contigit sua «Tentamina» tradere typis, cur non tibi contingat invenire in Hispania, vel Vici vel Cervariae, qui opus tam insigne post ducentos annos typis hodiernis mandet?

Si nobis est propositum linguam Latinam in suum restituere honorem, ante cetera ex ruderibus oblivionis effodere debemus, qui suis temporibus rem nostram sustinuerunt; illi nobis sunt imitandi, illorum nobis industria flaccentibus stimulus erit, illorum viis nos tuto ibimus.

Ecquid nunc dicis? Vale.

*Emmanuel Jové C. M. F. Andreae Avanario S. V. D.
amico carissimo plurimam salutem.*

Appropinquante nominali tuo, ad hoc tempus conjeci meas responsorias litteras ad tuas, ineunte octobri mense datas. Spero ut mihi hodie ignoscas sicut heri et nudius tertius. Quando autem sis indulgentior, quam eo die quo peccatoris gratulatione redundas, quo caelitus benignitate donaris, quo a Patrono tuo mitissimo, Andrea Apostolo, caritate et gratia cumularis? Primum igitur tibi gratulor ob diem tuum nominalem quem velim felicissime transigas multos per annos. Tibi adero mente totum hunc diem praesertim dum divinas ad Deum effundam preces.

Ad ea revertens, quae memineram supra, mihi a te multa sunt condonanda; et in primis litterarum tarditas, sed jam excusationem attuli, quam putaveris aliquatenus probabilem. Nonne satius est opportuniorem quam promptiorem esse? Deinde mihi etiam condonaveris meam impudentiam in tuis rebus, quas mecum per epistulas confers in PALAESTRAM LATINAM transferendis. At nescis, amice, ea quae sunt communia ubique posse legi verbis Latinis, particularia vero et domestica nullibi? Consulto in nostro commentario, uti jam ipse vidiisti, vel radendi barbam et capillos tundendi exhibuimus instrumenta. Crediderit quispiam nos desipere, si mentem nostram de vulgando sermone Latino minime cogitaverit. Qui has legerit nugas secum recogitet, obsecro, an a meta, jam inde ab initio nobis praestituta, vere divertamur.

Quid amplius mihi condonare debes? In novum vadum me conjicis de curanda tecum apud nos Santollinorum carminum editione. Crede mihi Santollium clarissimum poetam habeo et fama et imitatione dignissimum; at non puto apud nos typographum aut editorem inveniri posse, qui sua ipsius alea id operis suscipere audeat. Minus est quam tu credis in Latinitatem amoris parumque versantur in manibus hominum prossatores classici, quid dicam poetae? Jamvero si classici venum non eunt, ut par erat, quid speras de illis qui eorum auctoritatem vulgo non sunt adepti? Fontius ille, et mihi et tibi amicus, ex proprio penu pecuniam eduxit, quam nullatenus, vel minima quidem ex parte, recipierat. Mihi quondam id fecisse adseruit, ita ejus erat misericors animus! ut eo tempore quo cessatio ab opere latius apud nos manaverat, opificibus quodammodo subveniret. Ego autem, sicut tu, pauper in Domino, qui ab opere nunquam cessamus, opibus nisi omnino necessariis caremus; quid igitur faciemus? Amici Parisini, de quibus loquebaris, longius absunt, quam ut possim cum eisdem serius componere quidquam. Et istud igitur, me scilicet manibus rem nolle tangere, mihi condonare voles. Praeterea an nescis tu quas ipse lubricationes in PALAESTRA LATINA transigam? Vellem te mecum, et coram ambo res omnes feliciter expediremus. Vale et salve!

DE RE GRAMMATICA

NEMO, NIHIL, NIHILUM

Palaestritis pergratum fore mihi visum est de horum nominum flexione non nulla exponere ac declarare, eo maxime quod non nemo grammaticorum perspicuitate in re careat atque proprietate. Etenim nonnulli praeceptores opinionibus magistrorum temere adsentientes rationem dicendi usumque pristinum neglexerunt, quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi. Quod si narratoribus non undecumque historiam aurire licet sed ex fontibus, ita nec grammaticis praecepta dictionis, sed ad ea, quae classicorum scripta supersunt, se conferant necesse est.

Jam igitur quomodo *nemo*, *nihil*, *nihilum*, per casus apud classicos fiæantur declaremus.

2.—**Nemo substantive sumptum.** *Nemo* ex *ne* et *homo* compositum, vocabulo *omnes* opponitur; substantive fere semper adhibetur pro utriusque generis personis nec pluraliter usurpatur.

3.—**Casus usitati.** Nom. *nemo*, dat. *nemini*, accus. *neminem* apud auctores classicos usitati facile reperiuntur: Quod est tam desperatum conlegium, in quo *nemo* e decem sana mente sit? (Cic. Ceg. 3, 10) *Nemo* umquam neque poëta, neque orator fuit. (Cic. Att. 14, 20) *Nemini* compertum alteri quod sciam. (Plin. 2, 25, 23) Pro Pompejo lubenter emori possum; facio pluris omnium hominem *neminem*. (Cic. Att. 8, 2). Si hoc post hominum memoriam contigit *nemini* (Id. Cat. 7).

4.—**Casus inusitati.** Genitivum *neminis* et ablativum *nemine* classici scriptores non recipiunt, quod vocibus *nullius* et *nullo* subficere solent; dativo etiam *nulli* pro *nemini* multotiens utuntur: *A nullo* ante nos prodita. (Plat. 18, 28, 69) *Nulli* fides ejus, *nulli* opera, *nulli* res familiaris defuit. (Nep. Cim. 4)

5.—Ciceroniana et Plautina frusta in quibus *neminis* legitur paucissima quidem sunt et dubia: In sermonem sc. post Idus Mart. praeterquam Lepidi venisse *neminis*. (Ita Orell., Cic. Att. 14, 1).

6.—**Nemo adjective sumptum.** Quandoque *nemo* adjective pro *nullo* ponitur, ita tamen ut fortius neget quam *nullus*: *Nemo* est orator qui se Demosthenis similem esse nolit. (Cic. Or. 2) *Nemini* compertum alteri, quod sciam (Plin. 2, 25, 23). Pro Pompejo emori possum; facio pluris omnium hominem *neminem* (Cic. Att. 8, 2). *Nemo* adjective inter classicos rebus non adficit, unde nullam elegantiam redolet illud Prudentii: Mandavit annos, *neminem* excepit diem.

7.—**Nemo negationem unius et plurium simul significat.** Plurali ergo numero caret quem cum presse declarare opus sit, ad adjectivum *nullus* recurrendum: Discentium studiis inventiuntur magistri; huic autem qui studeat, sunt *nulli* (Cic. Off. 1, 37).

8.—**Nemo, adjuncta negatione.** Non eundem servat sensum prout negatio praecedat vel sequatur. Etenim negatione praecedente partitive usurpatur et significat

aliquis (non nemo=aliquis), negatione vero subsequente absolute adfirmat atque idem est quam *omnes* (nemo non=omnes): Tuum consilium *nemo* potest *non* maxime laudare (Cic. Fam. 47).

9.—*Nihil qua ratione flectatur. Nihil seu nil* idem est ac *nihilum* a quo per apocopem provenit. *Nemo* masculo vel femineo generi respondet, *nihil* vero et nihilum exprimunt genus neutrum, neque adhibentur nisi substantive.

10.—*Nihil* tantum in nominativo et accusativo recipitur ab auctoribus. In aliis casibus *nullius rei* (gen.), *nulli rei* (dat.), *nulla re* (abl.) periphrases supplent: *Nihil* est agricultura melius, *nihil* uberius, *nihil* dulcius, *nihil* homine, *nihil* libero dignius (Cic. Off. 1, 42). *Nihil* ergo agebat Quintus Maximus, nihil Paulus, ceteri senes nihil agebant? (Cic. De Senectute, 6). Nequam hominem dixerunt *nulli rei* (Gell. 7, 11) *Nulla re una* magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia (Cic. Brut. 59).

11.—*Nihilum: ejus origo et usus. Nihilum* quasi *ne bilum* juxta illud Varronis: Quod putamus esse *non bili*, dicimus *nibili* (L. L. 9, 5) Nominativus generatim non usurpatur sed voce *nihil* sufficitur. Alii casus, dativo excepto, frequentissimi sunt: docui *nihil* posse creari *de nihilo*, *in nihilum* nil posse revocari. (Lucr. 1, 269). Erit aliquid quod aut *ex nihilo* oriatur, aut *in nihilum* subito occidat. (Cic. Div. 2, 16). *Nibili* est autem, suum qui officium facere inmemor est. (Plaut. Pseud. 4, 7, 1).

12.—*Nihilum* cum verbis revertere, revocare, recedere, interire, redigere, venire, occidere accusativum cum *ad* vel *in* postulat. Omnia *ad nihilum* venient, *in nihilum* redigentur (Conf. Forcellinium ad verb, *nihilum*).

13.—Verba aestimandi, videl. *aestimo, duco, facio, habeo, pendo, puto, taxo, est, constat*, cet. *genitivo nibili* utuntur vel *ablativo simplici* vel *ablativo cum pro*. Dolorem nihili facit (Cic. Fin. 2; 27, 88). Non quia sit bonum valere, sed quia sit *non nihilo* aestimandum (Id. Att. 14, 9).

15.—*De nihilo* sibi vult etiam interdum facile, sine causa vel ratione: Qui alteri *de nihilo* audacter dicunt contumeliam (Plaut. Curc. 4, 117).

16.—Ut vero omnia quae diximus prima fronte percipiantur, hoc schema proponimus.

	Nemo (m. et f.)	Nihil (n.)	Nihilum (n.)
Nom.	Nemo	Nihil (nil)	Nihil
Gen.	nullius	nullius rei	nibili
Dat.	nemini (nulli)	nulli rei	nulli rei (nihilo)
Acc.	neminem	nihil	nihilum
Abl.	nullo, nulla	nulla re	nihilo

CURSUS GYMNASTICUS

VERGILII ECLOGA VI

Silenus Bacchi nutricius et paedagogus, dum somno jacet in antro, a juvenibus Chromi, Mnasilo et Najade Aegle invasus, ab eisque *spe carminis* alligatus, illos edocet primam rerum originem juxta doctrinam Epicuri, variasque addit fabulas. Quoniam, mea sententia,

nonnulla hujus eclogae propter respectum ad fabulas mythologicas minus utilitatis lectoribus adferent ea praetermittam. Haec ecloga dicata videtur Quintilio Varo Cremonensi, Vergilii et Horatii amicissimo, cuius mortem deflet Horatius in Od. I, 18.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
 Nostra neque erubuit silvas habitare Thalia.
 Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
 Vellit et admonuit: Pastorem Tityre pingues
 Pascere oportet oves, deductum dicere carmen. 5
 Nunc ego (namque super tibi erunt qui dicere laudes,
 Vare tuas cupiant et tristia condere bella),
 Agrestem tenui meditabor arundine Musam.

Prima: Ex primo versu quibusdam videtur haec ecloga prima a Vergilio conscripta, eaque a Cicerone audita in theatro, in Vergilii laudem exclamasse. *Magna spes altera Romae.* Nec significat Vergilium primum omnium inter Latinos bucolicum scribendi genus e Graecia seu Sicilia trastulisse, ut volunt Ruaeus et Vossius. Sensus hujus versus est «Initio mea musa poësi bucolicae, deinde aliis poëseos generibus incubuit. *Syracusius:* Ad imitationem Theocriti Syracusani; hoc adjectivum dempta sub-junctiva graeca *v* diphtongi tertiam corripit; sed et *Syracusius* corripere potest, demta praepositiva *o* diphtongi et *v* in *u* mutata, ut Latini solent. Ita Pierius (in h. l.) invenisse se ait optimos codices in quibus *Syracusio* pro *Syracosio*. *Cum canerem reges:* A. Forbiger triplitem distinguit periodum in productione Vergiliana; primam in qua poësim bucolicam coluit (v. 1-2), alteram in qua se exercuit in epica (v. 3-5), tertiam de-

nique in qua ad bucolicam rediit (v. 6). De quo vero carmine agatur non bene constat Inter antiquos interpretes haec habent *Scholiam Bernensiam* (VI proem. pag. 792): «elegantem declaratur hoc versu Vergilius ante hoc carmen coeptos Aeneidos libros habuisse in honorem regum Romanorum, et proposito omisso, Augusti imperio minora potius carmina scripsit». At si textum inspicimus, procul dubio ad gesta Vari refertur; siquidem poëta Varium consolatur *namque super tibi erunt qui dicere laudes, Vare, tuas cupiant*. Varus, rebus praecclare gestis in bello Perusino, imperio Italiae Cisalpinæ remuneratus, a Vergilio postulavit ut poëma epicum de suis laudibus et bello componeret. *Tristia bella:* Dicit de bello Perusino; C. Pascal tamen opinatur haec verba quamlibet materiam poëmatum epici designare. *Deductum:* Pro tenui et subtili elegantem positum est. (*Macrobius, Saturnalia* c. IV).

H. MARTIJA, C. M. F.

Bibliographia

Léon Debeauvais.— *Cours de langue Latine.— Exercices, Classe de Sixième.*— Librairie classique E. Belin, 8 R. Férou, 8, Paris.

Mense martio decurrentis anni prodit in nostro commentario PALAESTRA LATINA (p. 95) nota bibliographica grammaticae a praeclaro professore L. Debeauvais exaratae, quam tot laudibus ornavit cl. vir Ildephonsus González Marqués, C. M. F.

Quem nunc proponimus librum, primus est in serie exercitationum in toto yatinitatibus curriculo peragendarum (*Classe de Sixième*). In prooemio significat auctor quibus innixus principiis *Exercitia* confecerit: «La progression des Exercices, le souci constant de récapituler, les particularités pédagogiques, le méthode de vocabulaire».

Exercitia ordinem non sequuntur in «Grammaire complète» adhibitum, nam: «On ne peut couper systématiquement le nom et l'adjectif du verbe, ni la morphologie de la syntaxe»; atque illam grammaticae partem fere complectuntur, quae regularis in morphologia dicitur, ac praecipua syntaxeos (*Petite syntaxe*). Merito auctor: «Ce qui mérite d'être étudié en Sixième mérite d'être bien étudié».

Nunc vero, ipsum librum vel obiter inspicientes, facile sentiemus opus vere paedagogicum nos sub manibus habere. Illa praesertim varia et accurata ratio, ita apte digesta, regularum grammaticarum, exercitationum, vocabulariorum, «thematum et versionum» i. e. compositionum in Latinum vertendarum et ex Latino in Gallicum, quarum plures (*versions-thèmes suivis*) ornatae imaginibus apparent; illa *συμφοσύνη* in notulis et praeceptis conficiendis quae oculos animumque adlectat et arripit: «Un bon conseil, Ne confondez pas!, Guerre aux barbarismes!», quibus vivida adjungitur pictura; illae tandem grammaticae regulae ita perbelle memoriae commendatae: «*Iter feci per Galliam* (p. 43), *Iter feci*

per Romam (p. 45)...» haec omnia, inquam, recolentes, sponte et uno ore diximus: Sic addiscendus sermo Latinus, sic ex ipsis exercitiorum plagulis quasi delabitur doctrina et sensim sine sensu alumnorum mentibus infigitur, sic tandem, ope imaginum, vigere hac reviviscere videntur Romanorum antiquitates.

Illud unum innuendum censemus, quoniam paucae sunt regulae ad quantitatem syllabarum dignoscendam initio «Grammaticae» traditae, peropportuno fuisse ad recte pronuntiandum signo aliquo, pro adulescentibus praesertim, quantitatem paenultima syllabae notare. Ex imo gratulamur Librariae Classicae Eugenii Belin quae adeo Latinis litteris favet.

Jos. M.^o MIR, C. M. F.

Virgile.— *Les Bucoliques et les Géorgiques.*— Traduction nouvelle de Maurice Rat. Garnier.

M. Rat unus est ex praecipuis collaboratoribus collectionis Garnier: Poetas edidit elegiacos, Caesarem quoque et Suetonium; nunc demum Vergilium est adgressus. Primum volumen tantum modo evolvere mihi licuit, Bucolica et Georgica complectens. Versionem sedulo confectam, ideoque laude dignam existimo, interpres enim non modicas difficultates in fideli versione Vergilii occurrentes superavit. Parya paetemitto menda, quae aliquibus in locis irperserunt. (Cf. Bucol. III, 111; Geor. IV, 14, 32.) Adnotationes, licet satis elementares, faciliorem tamen lectionem Vergilii reddunt.

José Llobera, S. J.— *Obras poéticas de Fray Luis de León.*— Edición y notas del P. José Llobera.— Vol. II. Traducciones e imitaciones, 1933.

Alterum aureum volumen praeclarum P. Llobera de operibus poetice Legionensis, quod jam pridem expectabamus, nunc demum in lucem prodit, idque benevolentissime eximus auctor ad hujus commentarii redactionem misit.

Primum volumen transacto anno recensimus (cf. PAL, LAT. a. III, n. 21), et si tunc P. Llobera poëseos Legionensis quam qui maxime studiosum mirabamur, in hoc altero studio solida in litteris classicis eruditio, auctorumque praecipue Vergillii et Horatii perfecta cognitio satis effulget. Judicium quod in prolegomenis pronuntiat de versionibus poëtae, quibus verbis efferam nescio. Vergillii et Horatii interpretes, ait P. Llobera, minus benignam Legionensi sententiam proferrunt (ita M. A. Caro, Eugenius de Ochoa); critici vero (Menéndez y Pelayo) opus Hispani lyrici laudibus non modicis cumulant. Pater Llobera omnium opiniones inter se oppositas expendit, causaeque arbiter sedens, litem aequa sententia componit: «Legionensis in versionibus inprimis poëta ostenditur, interpres quoque est, at crebro non fidus interpres». (Introducción, III, pag. 17-24).

Hoc volumine continentur versiones poëtarum Latinorum, Bucolicorum et fragmentorum ex Georgicis et Aeneide, Odarum et Epistulae II Horatii, Tibulli, Ausonii; Graecorum Pindari et Euripidis; Italorum, I. de la Casa et Petri Bembi; imitationes denique Horatii et Petrarcae. Versiones nonnullae quae Legionensi adscribuntur appendici insertae sunt. Ignoscat carus amicus, si ejus operi superaddimus verba quibus Ovidius magno poëmati *Metamorphoseon* finem imponebat:

*Jamque opus exegi quod nec Jovis ira
[nec ignis
Nec poterit ferrum, nec edax abolere
[vetustas.*

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

J. Marouzeau.—*Lexique de la Terminologie Linguistique.*—Librairie Orientaliste Paul Geuthner, 13 Rue Jacob (VIe), Paris.

Magnae quidem utilitatis, immo vero etiam necessitatis, est ejusmodi in provincia Linguisticae Vocabularium, quod nobis clarus J. Marouzeau, de litteris praesertim classicis adeo benemeritus degustandum offert. Liber scilicet natus est, qui redderet «accessibles aux non

spécialistes les travaux des linguistes et des grammairiens.» Quod revera, nostra quidem sententia, auctor attigit. Volumen hoc 205 pagellis constat, ubi tenore uno sibi succedunt vocabula praecipua, vel omnia dicam, in usu apud Linguistas atque Grammaticos. Minime quidem auctoris ingenium fugit, perarduum esse, ne dicam impossibile, in unum redigi totam Linguisticae nomenclaturam, quamvis id in omnium votis et est usque erit. Quapropter in praesenti Lexico, modo quasi historico, vocum diversarum sensus exponitur, neque nisi ubi necessitas maxime urget, verbo in communioem usum nondum recepta adhibentur. Magnam autem libro confert utilitatem explicatio Germanica lingua omnium in Lexico vocum. Liber, ni multum fallimur, viam sese apud studiosos Humaniorum litterarum facilem aperiet in dies, speramusque eum non fore postremum qui exaretur ab auctore adeo praeclaro.

R. Galdós, S. J.—*Las Ideas Pedagógicas de San Ignacio de Loyola.*—Traducción española.—Librería Fratelli Lestini, via della Palombella, 23-25, Roma.

Non plus 60 pagellis textus atque 15 adnotationibus hoc constituitur opusculum, ubi cum nitore sermonis, tum scientia certa et doctrina exponuntur conceptus paedagogici Beati Ignatii de Loyola. Una omnino editionis Gallicae auctoris mentio, scilicet cl. J. Misson, S. J. in re adeo peritus, et index capitum, quem subjungimus, sunt libri hujus meriti ratio. Caput I: San Ignacio y sus fundaciones pedagógicas; II: Las principales cualidades del educador; III: Principios generales; IV: La instrucción; V: La educación. Certe non est liber studium definitivum conceptus paedagogici Sti. Ignatii; bene tamen atque objetivo modo nobis praesentat aspectus ejusmodi praecipuos. Ubera opusculo connectitur de re bibliographia, quae auctoris curam in fontibus excutiendis atque examinandis profert.

MILDEFONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Cynaegyus miles Atheniensis.
(Ann. IV, num. 29).—Cynaegyrum militem Atheniensem plures scriptores gloria extulerunt. Postquam acerrimum pugnatum est proelium Narathonium, dextra manu hostium navem in ea fugientium tenuit. Dextra autem ejus amputata, sinistra manu navem pressit. Jacturam cum etiam hujus manus fecisset, morsu illam arripuit. Tanta fuit in hoc virtute ut ambas cum perdidisset manus, dentibus tanquam fera rabie percita, in hostes pugnaverit.

JOHANNES GATELL

Ex Conlegio Barbastrensi

Multi scriptores Cynaegyri militis Atheniensis gloriam extulerunt. Post proelium Marathonium, cum hostes fugerent in navibus manu dextra unam eorum plenam tenuit, Dextra amputata, sinistra navem retinuit. Quam cum etiam amisisset denique navem morsu arripuit. Tanta ei virtus fuit ut, duabus amputatis, in hostes, ut bestia furens, dentibus pugnaverit.

ANDREAS SAN MARTÍN

Ex Conlegio Barbastrensi

Gloriam Cynaegyri militis Atheniensis scriptores multi extulerunt. Is post proelium Maratonium cum effugerent inimici in navibus retardavit unam dextera sua manu militibus oneratam. Qui cum manum dexteram cecidissent retardavit illam sinistra. Amissa etiam sinistra, dentibus tandem navem apprehendit. Tanta ejus virtus, ut duabus amissis manibus, tanquam fera iracunda, adversus hostem obluctatus fuerit dentibus.

ALOISIUS TORRUBIAS

Seminarii Abulensis alumnus

Multi scriptores efferunt laudibus nomen Atheniensis militis Cynaegyri. Post proelium Marathonium cum hostes intenderent fugam in navibus, tenuit manu dextra unam hostium gravem. Cum amputavissent illi manum ejus dextram, te-

nuit navem sinistra. Qui cum hanc etiam perdidisset arripuit denique navem morsu. Ita magna fuit virtus ejus in hoc, ut cum amiserit utramque manum morsu pugnaverit sicut fera rabida adversus hostem.

ANTONIUS DE LAQUINTANA

Conlegii Aranzazu alumnus

Fama Cynaegyri Atheniensis militis, a pluribus scriptoribus elata est. Hic, post proelium Marathonium, tenuit manu dextra navem, oneratam militum hostium, qui jam profecturi erant. Manum dextram illi amputarunt, at sinistra navem retinuit. Cum etiam praeciderent eam, morsu navem postremum arripuit. Talis fuit virtus ejus ut, praecisis manibus, veluti bellua in hostem morsu dimicaverit.

MICHAEL CISTERÓ

Ex Conlegio Barbastrensi

Gloria Cynaegyri Atheniensis militis fuit in laudibus apud multos scriptores. Hic, post proelium Marathonium, tenuit dextra navem onustam militibus profecturis. Amputaverunt ei dextram et tenuit navem sinistra. Cum etiam amisisset sinistram, denique arripuit navem morsu. Tanta fuit virtus ejus, ut cum amisisset utramque manum pugnaverit morsu ut rabida fera cum hostibus.

JOSEPHUS EZCURRA

Conlegii Aranzazu alumnus

Maximis fuit in laudibus gloria Cynaegyri militis atheniensis apud multos scriptores. Hic enim, post pugnam ad Marathonem, tenuit dextera manu navem hostibus fugientibus confertam. Illi dexteram ejus amputaverunt, at sinistra navem prehendit. Cum haec etiam ei praecisa fuisset tandem navem morsu arripuit. Adeo virtus ejus fuit praeclara ut, ambabus amissis manibus, rabidae ferae more morsu cum hoste pugnaret.

ALOISIUS VILLASANTE

Conlegii Aranzazu alumnus

Compositiones vertendae

Paseres et priapus cum cultore hortulia

Quod vitae apparet valde formidabile,
interdum forma (1) est vana et pueri ludicrum. — (2)
Ad quartum lapidem (3) Tusculanorum (4) viae,
planities laeta florentem capit (5) hortulum,
boni cultoris studium curamque unicam.
Abhinc non multos annos, postquam semina
cultor mandarat (6) terrae, aptum furacibus (7)
pellendis avibus terriculum (8) statui putans,
Priapum (9) excogitavit istius modi:
Virile vestimentum quot subteminis (10)
erat robusti, circumponit adfabre (11)
tigillis (12) colligatis apta industritia.
impletque scrutis (13); pictum conjunxit caput,
inmensum petasum (14), ut vivus adsit rusticus.
Priapi extendit firmat que ampla brachia;
his telam adfigit, strictam utrinque femori,
ceu velum inflandum ventis (15). Summisque manibus (16)
appendit formas aquilae panno de nigro
nigrisque pennis. Tandem simulacrum rude
abiegnō (17) infigit disco, quem terebraverat (18)
medium, inseritque ferrato apte cardini;
mumenque erectum ventis dat volumine (19).
Aves terrentur primo: sed mox passerēs
accedunt caute: aetate major advolat,
insilit audacter, conclamat: Nullus timor.
Turmatim volitant nil timentes ceteri.
Et petaso insistunt (20) praelongisque brachiis
et aquillis nigris: et pipilant concentibus (21),
choro exsultantes (22), cum Priapo celeriter
deducti (23), auris vela infantibus (24).
Adventat cultor, nec risum cohibens ait:
Calliditas nulla contra passerēs valet.

L. ROCCI, S. J.

Notulae

(1) apariencia. — (2) Juego, cosa redícula. — (3) *Miliaria apud Romanos lapide seu columna designabantur: miliarum=1478 m.* (4) *Pro Tusculanae.* — (5) Contiene. — (6) *Pro mandaverat.* — (7) De rapiña. — (8) Espantajo. — (9) *Hortulorum deus.* — (10) Tela, trama de la tela. — (11) Con arte. — (12) *Dim. a tigno:* palo. — (13) Trapos, desperdicios. — (14) Sombrero. — (15) Como velas para ser infladas por el viento. — (16) En la extremidad de las manos. — (17) De abeto. — (18) Talar, agujerear. — (19) Lo pone de mane-

ra que el viento lo pueda girar. — (20) Colocarse encima. — (21) Cantan todos a una. — (22) En alegre coro. — (23) Dan vueltas alrededor... — (24) Ablat, absol.

Prof. Emmanuel Jové. C. M. F.
Moderator

Typographia F. Camps Calmet. - Tarrega.